

7 1/2 p. 1.
5/20
Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM INAUGURALEM MEDICAM

~~Wittenberg~~

DE
SYMPATHETICIS
MORBORVM
CVRATIONIBVS
MEDICO RATIONALI INDIGNIS ET ILLICITIS

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO

MART. GOTTHELFF
LOESCHERO

PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL. PHYSICES ORDIN.
MEDICINAE EXTRAORD. FACVLTAT. MEDICAE ASSESSORE
ET SERENISS. DVC. SAXO-VINAR. PHYSICO PROVINCIALI, NEC NON
FACVLTATIS PHILOSOPH. H. T. DECANO

DNO. PATRONO, PRAECEPTORE AC FAVTORE SVO
AETATEM DEVENERANDO, SVSPICIENDO

GRADVM DOCTORIS

IN ARTE SALVTARI SVMMVM, EIVSQUE PRIVILEGIA
LEGITIME CAPESSVRVS

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI, EIVSQUE AVDITORIO MAIORI
ANNO M DCC XXIII. A. D. II. NOVEMBR.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

P. P.

AUCTOR

IOHANNES CAROLVS ACOLVTHVS
WRATISLAV. SILES.

WITTEBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

II. diss. A
4, 10

847. A. 194 (10)

~~Wittenberg~~



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text at the bottom left corner, possibly a date or reference number, appearing to be '1773'.

INCLVTAE
REIPVBLICAE WRATISLAVIENSIS
ILLVSTRI
DN. PRAESIDI
DOMINO SVO GRATIOSO

VT ET
RELIQVIVS
SENATORIBVS
MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS, MAXIME
STRENVIS, EXCELLENTISSIMIS,
AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS
PRVDENTISSIMISQVE
VIRIS

OB
MERITA IN PATRIAM INSIGNIA
SPECTATISSIMIS, SPLENDORE NATALIVM
MVNERVM AMPLITVDINE, GERENDARVMQVE
PRVDENTIA RERVM LONGE
FLORENTISSIMIS

MOECENATIBVS, PATRONIS
SVORVMQVE STVDIORVM AMPLIFICATORIBVS

QVA DECET, ANIMI SVBMISSIONE AETERNVM
DEVENERANDIS, SVSPICIENDIS

DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM

SACRAM SCRIBIT

AUCTOR.

PROLOGVS.

Inter tot deplorandas calamitates, quibus castissima Medicinæ Facies ab irrationalibus, falcemque suam in alienam Messem mittentibus male afficitur Medicastris, premiturque, non ultimum sibi vindicat locum illa lues, plurimorum, quos nominavi, animos inficiens, qua morbos occulto quodam modo, mediisque sanæ rationi genuinæque ac legitimæ Medendi Methodo e diametro adversantibus curari posse ac debere absurde satis opinantur. Quantum vero hoc ipso in sacram illam artem redundet detrimenti, dum, quæ erat antea rationalis, omnis obscuro occultarum qualitatatum obvolvitur obtegiturque peplo, dum, quæ ob egregia suis a Promachis inventa, multaque comprobata experientia exultabat remedia, infidis, superstitiosis, ac absurdis, obscenisque, medicamentis debonestatur plane atque deturpatur, accurata ponderantibus animi lance non potest non innotescere. Quam rem cum perpenderet diligenter Excellentissimus DN. PRAESES, suaque hæc animi sensa mecum benevole communicaret, haud aliter potuit, quam ut Autor mihi esset Suasorque, qui de hac Materie inauguralem conscriberem Dissertationem. Quod argumentum eo luben-

tius in me suscepi pertractandum, quo certius est, vix unicum inveniri posse morbum, quem non varii jam dudum speciminis loco inauguralis sibi sumserint explicandum, ex decem haud raro Practicorum scriptis, opusculum aliquod undecimum consarcinantes. Tuo itaque L. B. sese sistunt Conspectui sequentes De Sympatheticis Morborum curationibus Medico rationali indignis & illicitis meae meditationes. Nolim autem expectes hic exasciatum aliquod, omnemque hac de re dicendam materiem comprehendens opus, sed cogites, intra Dissertationis Academicæ limites circumscribi non posse, quæ spissum satis sibi exposcere poterant Volumen. De his præmonitus, lege, si placet, quæ sequuntur, & si quædam invenies ad palatum facientia tuum, mecum consentias, sin autem, quæ stomachum tibi facere possent, consilio utaris, quod supposito, ut, quæ legis, procul a te removeas, meliora vero his mecum quamprimum communices.

DE



DE
SYMPATHETICIS
MORBORVM CVRATIONIBVS
MEDICO RATIONALI INDIGNIS
ET ILLICITIS

THESIS I.

Medicus rationalis (a) dum aegrorum ^{Medici of-} curam in se suscipit, ita se gerat, ne ^{ficium.} unquam aliquid agat, quod principio (b) artis nobilissimæ aduersetur, aut vel huic (c) vel suæ ipsius personæ ullo modo maculam inurere possit.

Ἐπιθεσις.

(a) Dum Medici rationalis, seu revera talis mentionem *Pauci Me-* facimus, in mentem uenit recordari ejus, quod *dici reue-* rum Coryphæus Divus noster Senex HIPPOCRATES *inra tales.* lege de medicis asseruit, eos nomine quidem multos: reipsa uero *perpaucos esse.* Hujus nemo facile asserti negare ueritatem

*Medicus
re ipsa ta-
lis quis?*

*Medici
falsi qui-
nam?*

*Descriptio
ulterior
eorum.*

tem sustinebit, nisi qui quotidianæ audet obloqui experientia. Ulti enim tum demum Medicus re ipsa talis dici meretur, quando amplissimum nomen ac personam sibi impositam recte tuetur, atque experientia pariter & ratione nixus, (unde rationalis appellatur Medicus) valetudinem hominum secundam tuetur, & quantum fieri potest, producit, atque aduersam sæpe multumque emendat ac reficit, ita e contrario illis præter nudum Medici nomen amplius remanet nihil, qui neglectis saluberrimis ab HIPPOCRATE l. c. traditis de Medicina rite addiscenda consiliis ad eam faciendam præcipiti veluti cursu accelerant, formularum, quas, uti artis est, vix legere, nedum intelligere valent, stipati aliquot miriadibus, quasque omnibus ægrotis nullo sæpe ad ætatem, sexum, morbum ipsum, ejusque causas ac circumstantias habito respectu temere præscribunt, venenum potius hoc modo sæpius ac sæpius quam pharmacum propinantes. Graphice hujus furfuris Medicos, aut potius Medicastros depingit ILLUSTR. DE BERGER, Archiater & Consiliarius Regius, *Diss. de Medico Naturæ Adjutore*, cujus uerba non possumus quin hic inferamus. Nominat uero eosdem p. 4. *Medicos falsos, personatos, seplasiarios, chymistas, & uromantes, illos ex lotio fallaci odorum aucupes & augures mendaces, qui omnium bonarum artium & virtutum expertes, & fabricationis motuumque & actionum corporis humani ignari, posthabita causarum cognitione, ex urine judicio de Morbis nugantur, & comparata magna aquarum ardentium, & aliorum remediorum, quorum tituli, ut Lactantius ait, remedia, pyxides uero uenenum habent, sylua, uulgi fauorem & multitudinis famam aucupantur. Namque hi rusticorum sanguisugæ & crumenimulgæ, quemadmodum animas hominum negotiantur, nostrisque discunt*

pe-

periculis, atque experimenta per mortes impune faciunt: ita non ministri vel adiutores, sed pernicies naturae & vespillones, ac medici fundi calamitas, mortisque quaestores & consilarii merito dicuntur. Plura hanc in rem l. c. invenies. Ab ho- *Medicus*
 rum itaque numero sese prudens segregat Medicus, Con- *sit Consi-*
 siliarium Naturae, amicumque adiutorem (uti modo lau- *liarius na-*
 datus Autor cum ROB. BOYLE *disq. de Nat. Medicum vo-* *tura.*
 cari mavult, non naturae ministrum) ipso sese exhibens opere, dum artem quam exercet omnium nobilissimam artium, esse *scientiam sanandi, non nocendi* cum SCRIBONIO in *Epist. ad CALLIST.* optime perpendit. APOLLINEM Medicinam cum Musica coniunxisse Veterum est sententia, cujus conjunctionis causam VERVLAMIUS IV. *Augment. Scient. 2.* attulit hanc, *quod fere similis sit artis utriusque genius, & in eo Medici officium consistat, ut sciat humani corporis lyram ita tendere & pulsare, ut omnia suavi & concordi consensione conspirent.* Hujus itaque rei uti principem Medicus revera talis curam habet, *Medico*
 ita de cætero diligenter quoque observat miram sane & *que porro*
 HIPPOCRATIS gravitate dignissimam cynosuram, quam *sint obser-*
Lib. de decent. habit. genuinis artis filiis proposuit imitan- *vanda.*
 dam, quando, *in medico, inquit, esse debet pecuniae contemptus, pudor, modestia in vestitu, iudicium, lenitas, urbanitas, mundities, recta elocutio, superstitionis auersatio & praestantia summa.* Plura de Medici persona, officio, proprietatibus, ornatu vid. apud eundem HIPPOCR. *L. de Medico, de decenti ornatu;* GALENVM *Introd. ad Medic. c. 7.* BOHNIVM *de dupl. Med. Offic. aliosque.*

(b) Principium Artis Medicae jure meritoque HIP- *Principi-*
 POCRATES *L. de Loc. in Hom. naturam corporis esse dixit,* *um Artis*
 cujus cognitioni, tanquam fundamento, reliquum Medi- *Medice*
Natura.
 B *cinae*

*Natura
quid?*

*Est Mor-
borum me-
dicatrix.*

*Hanc ex-
ploret Me-
dicus si
medelam
agro affer-
re vult.*

cinæ artificium sit superstruendum, quod proinde erit tu-
tius & firmitus, quo illud est certius. Per Naturam vero
intelligimus cum HIPPOCRATE admirandam illam par-
tium corporis humani tam solidarum, quam fluidarum
constructionem, atque harmonicam oeconomiam illarum
dispositionem, qua corpus univrsum regitur, quaque par-
tes omnes, illud constituentes, sibi mutuo consentientes, id
agunt, quod a summo Artifice in prima creatione agere
jussæ sunt, sicque ad totius machinae conservationem mi-
re conspirant. Hæc Natura uti a Conditore generis hu-
mani benignissimo DEO T. O. M. modo tam admirabili
fabrefacta, suis ipsamet viribus, quicquid ad salutem sui,
conservationemque conducit, facilius sæpe, quam per sci-
entiam Medici etiam peritissimi reperit, ita ab HIPPO-
CRATE, &, qui, quicquid vastis eximii in Medicina
comprehendit voluminibus, id, Judice ILLUSTRIDE BER-
GER *l. c.* illi debet, GALENO, *erudita, sapiens, justa, arti-
ficiofa & sui sollicita, providaque, imo ipsorum medicatrix mor-
borum VI. Epid. com. 5. t. 1.* jure certe optimo nuncupatur.
Quodsi igitur Medicus sedulo sibi cavere debet, uti o-
mnino debet, ne unquam aliquid, huic naturae quod ad-
versetur, suscipiat, sapientissimis HIPPOCRATIS morem
gerat adhortationibus, quando *L. de vet. Med. Medicum
omni studio anniti debere jubet, quo naturam humanam explo-
ret & cognoscat, si modo aliquid eorum, quæ fieri debeant, re-
cte præstare velit.* Et sane res ita omnino sese habet.
Quomodo enim is qui causas nescit valetudinis bonæ,
(quæ sunt ipsa Natura modo descripta) quoties eæ defici-
unt, ipsarum defectionem, id est, morbi naturam ratio-
nemque intelliget? Quomodo, si hanc nesciverit, & qua
tandem ille via cum ratione invenire & adhibere reme-
dium

dium ad corrigendam causam morbi incognitam idoneum poterit? cujus quippe tota natura & actio in certo ad causam morbi respectu, ut hujus ad labefactatam partem consistit. Etenim omnis Morbus est decessio quædam de statu sano, & illa partium hominis dispositione, qua is aptus est, muniis & actionibus suis rite præesse. *Morbis quid?* Univerfa quoque Medicina natura sua quadripartita est. *Medicina* Primo enim hominem in statu sano æque ac morbofo, & *quadri-* deinde præsidia utrique statui convenientia complectitur: *partita.* unde quidem clare patet, tres partes posteriores ita pendere a prima, ut ea deficiente, mutilæ quoque & dubiæ sint cæteræ. Quicumque itaque Medicus in Medicina facienda felices exoptat successus, is imprimis naturam nostram, (cujus vi tam multa in nobis opera fiunt, quibus sani conservamur, morbis que impediti restituimur) ejusque motus accuratius animadvertere calleat, quo, siquidem, idonei fuerint, eis adminiculari, si contrarii & noxii, prohibere eos, transferre atque divertere, viamque omnem curationis prudenter dirigendo, ipsum consequi optatum finem queat.

(c) Unicuique sane Medico, cui tam salus ægrotorum, quam proprii fama nominis, ipsiusque divinæ incrementum artis atque splendor curæ est cordique, incumbit, ut in iis, quæ peragenda suscipit, ea omnia, quantum quidem fieri potis est, evitet, quæ vel illam impedire, vel istam commaculare, vel hunc obfuscare valent. Quam varia id fieri possit ac debeat ratione, prolixè jam exponere nostrarum non est partium. Unicum id, quod sequitur exempli loco sufficiat. In præfagiendo scilicet Morbi statu futuro, præscribendisque Remediis cautus sit Medicus, viso tantum ægri lotio, minus vero ipso ægrotante, *Imprimis circa præ-* *scriptio-* *nem re-*

medio- nec de malo, quo laborat æger, ejusque circumstantiis fa-
rum viso ctus certior, ne vel in vitam hujus peccet, vel suæ famæ,
tantum si res male cesserit, pessime consulat, vel denique, ne quid
lotio non Medicæ Arti in opprobrium dedecusque vergat. Ex hoc
ipso egro. capite quondam factum est, ut magno sui honore, nec
Interdi- minore humani generis emolumento ILLUSTRE MEDI-
etum Col- CORVM LONDINENSIVM COLLEGIVM Medicis illius Ci-
legii Lon- vitatis, imprimis autem vatibus istis triobolaribus ac ἔσο-
dinensis. ΠÓΤΟΙΣ, qui perfricta fronte in suis sellis, tanquam in A-
 pollinis tripode ex urinis cunctorum morborum, quos
 haud raro ne quidem nominibus appellare possunt, scien-
 tiam & ægotantium statum ac conditionem elicere vo-
 lunt, solemnī formula interdixerit, ne quis Medicorum
 fallacem hanc ex urinis divinandi artem in lucrum pro-
 prium, in aliorum vero perniciem exercent, & servis ac
 mulierculis, ægotantium matulas circumportantibus
 nequicquam in Medicina præscribat, nisi aut ipsum vide-
 rit ægotum, aut saltem ab iis, qui consilium petunt, de
 toto illo Morbo, quo laborat æger, morbique circum-
 stantiis & plane & plene instructus fuerit, uti ex JO. GVI-
 DOTII Prolegomenis in *Libr. THEOPHILI de Urinis* re-
 fert ex merito laudatus *Illustr. DE BERGER Diss. de Cert.*
Med. §. II. p. 7. Plura ejusmodi vide sis *apud BOHNIVM l. c.*
passim. Quænam ex Urina Medicus colligere possit, ner-
 vose exponit *Celeberr. HERMANNVS BOERHAAVE Insti-*
tut. Med. §. 1017. p. 422. Exemplum vero Medicamenti ab
 absente Medico, ob circumstantias morbi male descriptas,
 funesto eventu ægro applicati, suppeditat *GVNTHERVVS*
CHRISTOPH. SCHELHAMMERVS Lib. de Nat. sibi & Med.
vindic. Part. alter. cap. IV. p. m. 256. quem consule.

THES.

THESIS II.

Ad hunc Scopum si tendere vult Medicus, e-
 jusmodi propinet ægrotis remedia, quo-
 rum vires malum debellaturas ratione & expe-
 rientia (a) intelligit, a Curationibus vero Sym-
 patheticis (b) penitus absteineat.

*Medici
 officium
 in prescri-
 bendis Re-
 mediis.*

Ἐκθεσις.

(a) ASCLEPIADEM, officium esse Medici, ut tuto, ut
 celeriter, ut jucunde curet, dixisse perhibet CELSVS *Med. L. curet tuto,*
III. c. 14. Quod ad primum attinet, nihil quidem magis *celeriter,*
 a Medico postulari potest, quam ut in remediis ægro pro- *jucunde.*
 pinandis tutissime procedat, semperque menti impressum
 habeat, quod HIPPOCRATES *Epid. I.* jubet: *Duo, inqui-*
ens, in Morbis praestanda: adjuvare, aut saltem non nocere.
 Cognita itaque Morbi historia in hoc vel illo homine, Me-
 dico curandi ratio, remediaque facile innotescunt, siqui-
 dem HIPPOCRATES *L. de arte, Medicum, si modo suffecerit*
ad cognoscendum, suffecturum etiam ad curandum perhibet;
 & GALENVS *de sanit. tuend. 14.* *Nullus, inquit, negotio inve-*
niet remedium, qui cognoverit affectum. Neque vero teme-
 re arripienda sunt remedia, quae licet ab aliis summis de-
 praedicentur laudibus, si tamen eorum partes constituen-
 tes minime ejusmodi virtute praeditas esse rationibus asse-
 quimur, quæ morbo resistere valeant, abjicienda potius
 talia esse non sine ratione asserimus, seligendaque alia re-
 media, inter quæ & morbos debita sit proportio, quæque
 morbi vires infringere posse, ratio pariter ac experientia
 nobis persuadet. Vbi quidem, judice Illustri de BERGER,

l. c. nihil refert, sive is, qui remediis utitur, sæpius expertus eadem fuerit, sive acceperit ab iis, qui experti sunt, modo certa experientia comperta cum ratione & tempore, modoque, morbo & naturæ convenienti adhibeantur. Non equidem ignoramus experientiam magis prodesse & prævalere debere, quia ratio aliquando fallit, adeoque illi etiam inniti convenire, hacque nonnunquam deficiente ac repugnante operari licere, secundum tamen illa, quæ genuina & circumspectior, non temeraria ac superstitiosa suggerit experientia, id est, sine causarum morbificarum scientifica magis cognitione, ac sub verorum indicantium ignorantia nos aliquando admovere posse medelam ac præsidia, quibus vel nostra vel aliorum fide dignorum experientia fidem fecerit, uti asserere non dubitat Celeberr. BOHNIVS l. c. cap. 9. p. 202. Quanta autem hic opus sit circumspectione, vel nobis tacentibus quilibet videt. Hæc omnia si observat, tuto curabit, Medicus. Sed & idem celeriter opem ægrotantibus adferre debet, quod HIPPOCRATES *Epist. ad Cratev.* observare monet, ubi *ab omni quidem arte alienam procrastinationem pronuntiat, maxime vero a Medicina, in qua dilatio vitæ periculum afferat.* Quando id fieri debeat, & quomodo illud: *Festina lente*, sit attendendum eleganter docet sæpe laudatus BOHNIVS l. c. p. 191. seqq. uti *idem* quomodo jucunde curare debeat Medicus p. 220. exponit.

*A curationibus
sympatheticis abstinereat.*

(b) Hic sane in aciem contra nos prodeuntem videre nobis videmur non phalangem unam alteramve, sed totum Doctorum Sympatheticorum Exercitum, magnoque impetu irruentem, atque Curationes suas Sympatheticas tanto cum fervore defendentem, ac si pro aris & focis esset dimicandum. In eo dum omnes contendunt
ner-

nervos, sympathetica remedia eadem esse dicunt, quibus Medicus tuto, celeriter, ac jucunde curare possit; infalibilem enim eorum esse effectum, neque tamen adeo magnis sumtibus acquirendum, quo ipso quidem multorum captant gratiam, nihil tamen pensi habent, *remedia adeo jaclata naturæ*, (ut cum CASP. SCHOTTO *Mag. Univ. P. IV. L. IV. p. 453.* loquar) & *naturalis ac legitimæ Medicinæ regulis consentiant, superstitiones ac malas artes implicent, pactum cum cacodæmone initum sapiant, nec ne.* Pluribus in sequentibus exponemus, cur Medicus rationalis ab his curationibus abstinere debeat, nunc quid per eas intelligamus, paucis indicaturi.

THESIS III.

Curationes enim Sympatheticæ nihil aliud sunt, quam occulto (a) quodam modo atque inexplicabili morbos fugandi, a recepta rationali prorsus declinans Methodus. Curatio-
nes sym-
patheticæ
quid sint?

Ἐπιθεσις.

(a) Abstrusissima certe est ratio, qua sympathicæ perficiuntur curationes. Quis enim causas, effectum desideratum producentes indagare atque sufficienti poterit explicare ratione, cum media adhibeantur infida, superstitiosa, absurda, obscena, periculosa & perniciofa, inter quæ & morbos nulla intercedit connexio, nulla proportio, quæque cum naturæ, naturalisque ac legitimæ Medicinæ regulis nullo modo consentiunt. De his sequentes pluribus

bus

Vocis : bus agent Theses. Quod autem ad vocem: *Sympatheti-*
Sympatbe- *cus:* attinet, non opus esse existimamus, ut prolixè expo-
ticus: *si-* namus, illam in genere adhiberi posse de omnibus rebus
gnificatio. sive naturalibus, sive præternaturalibus, inter quas consen-
 sus vel compassio quædam intercedit, specialiter vero dici
 de medicamentis quibusdam singularibus quibus peculia-
 ris quædam occulta virtus ad distans etiam sese extendens
 inesse creditur, uti habet CASTELLVS *Lex. Med.* hoc sal-
 tem monebimus, sympatheticas Curationes ab Autoribus
 quoque dici magneticas, sumta similitudine a Magnete
 ferrum ad se rapiente, item magicas: idque in sensu bo-
 no, ab iis, qui transplantationi favent, in sensu autem
 malo, ab iis, qui illas ex foro naturæ jure præscribunt.
 Per transplantationem quoque Curationes dicuntur Sym-
 patheticæ, quam vocem a plantis desumptam ad curationes
 illas applicant, quibus ex corpore morbofo malum in alia
 corpora, vel animalia, vel vegetabilia transplantatur. Has
 vero denominationes a vi agendi occulta originem traxis-
 se, quilibet concedet. Consistere autem hanc vim agen-
 di occultam in Sympathia corporum naturalium perhi-
 bent; quæ secundum STEPHANVM CHAVVIN in *Lex. Philo-*
soph. nihil aliud est, quam *Dispositio quædam connatu-*
ralis duorum corporum, cujus virtute in se inuicem, vel
saltem unum in aliud agere aptum est, mediantibus te-
nuiſſimis spiritibus motum aliquem occultum excitanti-
bus, & ipsis corporibus connaturalem ac beneficum, ex
quo sequatur insensibilis & insignis aliquis effectus. Jam
 quidem id ambabus largimur manibus, dari revera con-
 sensum ejusmodi corporum seu convenientiam alterius
 cum altero, hoc tamen quoque firmiter sumus persuasi,
 multa occurrere figmenta in Sympathiæ exemplis ab Au-
 toribus

*Curat.**Sympatb.*
dicuntur
quoque
magne-
tica,
magica,
et per
transplan-
*tationem.**Sympa-*
*thia quid?**Hujus*
multa

toribus adductis, quæ cum veritate non concordant, uti ^{dantur} vere pronunciat CASTELLVS *Lex. Med.* sub tit. *Sympathia. figmenta.* quem sequitur JOH. MELCHIOR VERDRIES *Introd. in Physicam*, qui pag. 307. sequentem loquitur in modum: *Antequam causas (observationum & effectuum Sympatheticorum) hic disquiramus, id operam dare nos oportet, ut de re ipsa certiores fiamus, & accurate dispiciamus, num, quicquid narratur, ita re vera sub iis circumstantiis & conditionibus se habeat. Plurimæ enim sublestæ fidei observationes & fabulæ hic se ingerunt, & plurima narrantur, quæ, si experientiam consulamus, & circumspicte omnia peruestigemus, vel plane non, vel eo, quo perhibent, modo non contingunt, uti vel ipse decantatus adeo Pulvis Sympatheticus exemplo esse poterit utpote cujus laudes experientia destituit, & cujus proin usus apud prudentes & minus superstitiosos in desuetudinem plane abiit. Quæ cum ita sint, (uti inferius ibimus demonstratum) quis fallaciarum plenis curationibus sympatheticis fidem adhibebit? quis Medico rationali autor suaorque existet, qui ægrotantium mala hisce remediis absurdis atque infidis in fugam vertere debeat? Nemo sane, nisi qui sympathetica quadam forsitan ratione a veræ Philosophiæ naturalis ignorantia misere afficitur. Fusius vero nostram defendere in subsequenti sententiam, est animus, jam dictis Judicium *Celeberr. VATERI* quod de curationibus sympatheticis tulit, superaddentes. Ita vero ille *Physiol. Exp. Sect. II. cap. XV. p. 265.* *A quibus autem omnibus (Curationibus scil. sympatheticis & magneticis) plane nullum, vel saltem fortuitum, effectum fieri posse judicamus. Vbicunque enim non datur contactus corporum, sive immediatus, sive mediatus, mediantibus scil. effluviis, ibi etiam nulla operatio naturalis.**

C

THES.

THESIS IV.

Media, quibus Curationes Sympatheticæ absoluntur. Si media, quibus absolvuntur, & eorum applicandi rationem spectes, partim sunt infida (a) & superstitiosa (b), partim quoque absurda (c) & obscena (d): Philosophiæ vero naturali (e) quam maxime adverfantur.

Ἐκθεσις.

Sunt infida. (a) Curationes Sympatheticas a Medico rationali non vocandas esse in auxilium, ut rationibus hanc nostram stabiliamus sententiam, dicimus, eas infidis peragi remediis. Qua enim ratione fidem quis ejusmodi adhibere possit remediis, quæ iis utentes fallunt sæpius, quam spem eorum explent; imo quæ, loco speratæ sanitatis, aliis ansam præbent morbis, nos equidem non videmus. Exemplis hæc vivent Regulæ. Fœde illorum decipi Spes, qui Pulverem Sympatheticum non modo hæmorrhagias narium, si aliquot sanguinis guttulæ subjacenti illi instillentur, sistere, sed etiam vulnera, curam eorum dirigente multis milliaribus ab ægro absente & gladium, seu aliud corpus sanguine vulnerati, commaculatum deligante, eo ipso sanari credunt, unus fere est Autorum consensus, una quærela, si hujus Pulveris Patronos, Defensores, Laudatoresque exceperis, quos optimo sane jure ST. BLANCARDVS, per experientiam una cum aliis edoctus *fabularum esse scriptores* asserit, referente & approbante CASTELLO *Lex. Med. sub Tit. SYMPATHETICVS.* Repete ex I. M. VERDRIES *Introd. in Physic. Thes. antec. de pulvere*

re

re sympathetico prolata, de quo Celeberr. CHRIST. JOH. LANGIVS *Op. Med. P. III. p. 234.* loquens: *Minime*, inquit, *concedimus sanationem Hæmorrhagiæ certo ac præcise, utat nihil omissum sit, quod requirebatur ex utraque parte, sequi*: & Magnus ROB. BOYLE, postquam, quod propriis oculis pulveris sympathetici efficaciam perceperit, se credidisse, *Tentam. Physiol. alter. de Experim. quæ non succedunt p. m. 53.* dixerat, nihilominus, inquit, multorum expectationem fefellit, nec non cum forte mea ipsius opera paratum ad hæmorrhagiam narium, quæ mihi ipsi obtigerat, sistendam compescendamque adhiberem, id minime præstare valuit. Quare, paulo post pergit, *Pulverem Sympatheticum virtutem medicinalem nunquam exerere, non audeo affirmare; at perpetuo expectatos effectus præstare, aliis credendum relinquo.* Cui vero effectus ille, Pulveris Sympathetici usum sequens sit adscribendus, an huic, an aliis causis, infra dicemus, nunc adhuc Remedia Sympathetica loco speratæ sanitatis aliis morbis ansam præbere exemplo comprobaturi. Referunt scilicet *Collectores Ephemerid. N. C. An. III. Observ. LXXXIX.* honestam quandam matronam febre tertiana simplici correptam an. 1661. Mense Majo, eaque usque in Junium protracta, moræ impatientem, svasu cujusdam mulierculæ, subsecasse manuum pedumque ungues, eosque in linteolo colligatos, caudæ tincæ piscis alligandos jussisse, posteaque halitum ori ipsius ter insufflasse, atque sic piscem cum additione verborum quorundam a vetula illa Vistulæ fluvio urbem præterlabente immissum fuisse: unde febrem quidem non rediisse, in ejus tamen locum colicum dolorem atrocissimum successisse, qui tanto molestior fuerit, quod sine intermissione duraverit, & vix selectissimis remediis post multos dies cesserit.

reportaverit matrona illa præmium, anque fides infidæ huic morbos curandi methodo sit adhibenda, Tu Ipse L. B. judicabis. Denique, si hæc aliaque remedia sympatheticæ, secundum principia medicamentorum agendi, cognoscendique examinemus, facili patebit negotio, eorum qualitates nullo modo ejusmodi viribus esse instructas, quæ morbis resistere valerent. Quis itaque ejusmodi remedia non optimo jure maxime dixerit infida?

Superstitiosa.

(b) Superstitiosa quoque dicimus Remedia Sympathetica, idque non sine ratione. Quæcunque enim res viribus ad id præstandum, quod debet, naturalibus non est instructa, id tamen nihilominus agere creditur, ea jure dicitur superstitiosa. Poterit remedium mox allegatum contra febrem quartanam esse exemplo. Sane stupor occupat animum, si stolidissimam & abominabilem illam Vulgi & Medicorum sympatheticorum, eadem, ac ille, prudentia præditorum, in adhibendis ejusmodi absurdis remediis consideremus superstitionem. Quis enim tandem adeo infanus esset, qui crederet superstitiosis WECKERI nugis L. V. de Secr. p. 117. referentis, *febricitantes sive ex tertiana, sive ex quartana, sive etiam quotidiana, liberari, si resegmina unguium ex manibus & pedibus deprompta ceræ involvantur & matutino tempore ante solis ortum januæ alienæ affigantur.* Aut quis illorum fidem adhiberet dictis, qui, ut SCHROEDERVS Pharmac. Med. Cbym. L. V. pag. 826. habet, *segmenta unguium, eundem in finem ovo includunt, avibusque devoranda objiciunt, vel dorso cancri vivi eadem alligant, cancrumque fluenti immittunt, licet ejusdem experimenti (mirabilis & in naturæ majestate plane reconditi & abstrusi) si opus esset, se producere posse testes, qui id non semel documento comprobarint, gloriatur* CAME-
RA-

RA-

RARIUS *Cent. IX. Memorab §. 19.* qui vitio nobis non vertet, si cum *Illustr. PHILIPPO JACOBO SACHSIO A LEWENHEIMB Gammarol. c. IX. p. 872. sq.* hæc referente *illud mirabile experimentum potius arcanum naturæ putatitium, quam in ejus majestate abstrusum*, pronunciemus, nec non cum *Celeberr. THOMA BARTHOLINO*, ejusdem furfuris remedium referente, dicamus: *Ego cras credo, hodie nihil*: uti hæc ex hujus *Cent. III. Hist. 66. p. 128.* recenset *FRANCUS AFRANCKENAV Onychol. p. 51.* *EVOLVE VALENTINI Pandect. Med. Legal. P. I. p. 454.* aliosque Scriptores, si plura ejusmodi desideras superstitiosa Curationum Sympatheticarum specimina. *Denique relatam mihi fuit*, inquit modo laudatus *SACHS A LEWENHEIMB l. c. p. 873.* *fœminam, si transeat sepulchrum fœminæ puerperio extinctæ, eam laboraturam fluxu mensium perpetuo; sanari ægram, si tres cancri sepeliantur cum puerpera.* *Ast, ut idem p. 877.* judicat, *quomodo superstitiosæ hæc per cancrum recensitæ curationes ad febrim cum deportatione Unguium & defossione in puerperæ sepulchrum ad sistenda Menstrua valeant, vix Oedipus erit Christianus, qui hæc ex naturalibus causis divinari possit. Sacræ Medicinæ nihil commercii cum nefanda magia.* Hæc vobis dicta esse credatis, superstitiosi atque absurdi remediorum horum superstitiosorum admiratores, laudatoresque, qui *HIPPOCRATIS* fœde contemnitis præceptum supra allegatum, *in medico debere esse superstitionis averfationem*, graviter pronunciantis. Justæ hinc debentur laudes cordatioribus Medicis, has superstitionum abyssos detestantibus, quos inter merito referendus *Illustr. WEDELIVS* in *Operibus suis* cedro dignissimis alicubi sequentem in modum loquens: *Quæcunque superstitiosa, magica, characteristica, diabolica, non naturalia sunt, ea*

exulare debent, neque pro consequendo fine unquam impendenda. Et alibi: Superstitio notat fascino, et implicite demonis concursum. Omnis superstitio implicat aliquid illiciti, fanatici, præsertim in Christiano. Superstitio omnis invitat ad illicita omnia diabolica media, quantum enim a DEO abit Homo, tantum ad diabolum accedit. Quibus MANTVANI adde placet Verba: Medicus, inquentis, nunquam consulat ea, quæ in perniciem vergant animarum.

Absurda.

(c) Vix operæ putamus esse pretium, ut prolixioribus curationum absurditatem sympatheticarum demonstremus verbis, cum ex jam prolatis exemplis quilibet manibus veluti palpare possit nostræ veritatem Sententiæ. Nonne enim jure dici ea merentur remedia absurda, inter quæ & morbos ejusmodi connexio, qualis inter asinum & lyram deprehenditur. Et potestne quidquam esse absurdius, quam ab aliquo expectare aliquid atque postulare, quod, cum ipse non habeat, alteri dare omnino non potest. Liceat nobis in præsentiarum remedium, quod Tussi curandæ inservire debet, sane absurdissimum, ex PLINII *Hist. Nat. L. 32. C. 8. fol. 566.* MARTINO SCHV-RIGIO *in sua Sialologia C. IV. §. 55.* citatum producere in medium. Coaxat ille, *ranam esse parvam, arborem scandentem & ex ea vociferantem, in cujus os si quis exspuat, ipsamque dimittat, Tussi liberari debeat.* Exhibilandum vero hanc Hominum stultitiam & absurdissimam quis non irrideat Credulitatem.

Obscena.

(d) Medicos inveniri posse, quis crederet, quos in tanta Remediorum optimorum copia, quando cum morbis est conflictandum, ad ejusmodi confugere non pudet medicamenta sympathetica, quæ, si eorum modo apud ægrum mentio injiceretur, huic ob teterrimam, quæ illa

CO-

comitatur, spurcitiem, nauseam, ne dicam vomitum, concitare valerent. Nihilo tamen minus rem ita se habere, docent Autorum Scripta ejusmodi remedia commendantium. Horum facile prolixum hic inserere possemus catalogum, quomodo vel in impotentia virili liquor, quem in viris natura procreandæ soboli destinavit, impio spurcissimoque modo in auxilium vocetur, vel ad hæmorrhagiam narium sistendam varia ejusdem furfuris commendentur, vel, si menses nimium fluant, quid applicandum sit remedii; Sed, quominus hæc fusius exponamus, vetat Verecundia. Interim evolve sis, DANIELIS BECKHERI *Microcosm. Med. L. I. c. 13. p. 68.* SCHVRIGII *Spermatol. Cap. VII. §. I. p. 327. & §. IV. p. 328.* HENRICVM AB HEER. *L. I. Obs. 5.* FRID. HOFFMANNVM in *clavi pbarm. Schroederiana L. V. Sect. I. p. 661.* Non tamen possumus, quin unicum ex jam citato HOFFMANNO allegemus remedium sympatheticum. Ille l. a. p. 662. vult *Indusium indui debere recenti menstruo alterius (si consanguinea fuerit, melius succedet) adhuc conspurcatum, quod teste experientia, (si vera est fabula) in fluxu menstruo suppresso proritando probatum esse debet. Fermentum enim Sanguinis mumiale specificum interius uteri fermentum per symbolicam harmoniam idealem suscitare asserit.* Quale vero illud sit fermentum mumiale specificum, & an in rerum natura detur, nondum Cl. Autor exposuit, probatumque dedit, quem sane miramur, nec mirari satis possumus, operi suo alias egregio tam absurda, tamque obscena inserere potuisse remedia. Aliis certe causis fluxus pariter ac suppressio Mensium a Physiologis & Medicis jure adscribitur, quam fictitio ejusmodi ac cerebrino fermento.

(e)

Philosophia naturali ad-versantur.

(e) Sequitur tandem ultimum Theseos hujus Momentum, quo Curationes Sympatheticas Philosophia naturali maxime adversari asserimus, & per sequentia probamus. Rerum scilicet naturalium nobis exponit Scientia, impossibile esse, corpus aliquod in alia operari posse, absque contactu, cum inter agens & patiens semper requiratur proportio. *Vid. Celeb. VATERI Physiol. Exper. p. 23.* Neque possibile est, corpus aliquod ut moveatur, nisi illud fiat ab alio. His itaque firmo stantibus talo, explicet nobis aliquis Doctorum Sympatheticorum, quomodo e.g. pulveris sympathetici vires per triginta & plura millia agere possint in vulnera cum contactu. Ubi quidem primo a contactu corporeo diversum, virtutis scilicet contactum somniantes audimus, qui agens longo spatii intervallo dissitum vim suam exercere volunt. Quandoquidem vero causa debet suum attingere effectum, tunc quidem denegant agenti remoto contactum, quem vocant suppositi, verum concedunt ei contactum virtutis, quatenus agens quasi ex se fundit qualitatem corporis expertem, qua mediante producit effectum. At enim vero præter nuda verba hic nihil latere amplius, quilibet concedet recentiorum Philosophorum placitis imbutus. Fit enim non alius, quam corporeus contactus, quoties agens etiam dissitum agit. Cum itaque concedere cogantur adversarii corporeum contactum, pulveris sympathetici operationem putant fieri beneficio lucis (aërea calcinatione Vitrioli magis irradiatæ & impressæ) quæ Atomos Vitrioli & cruoris conjunctorum expandat in aëre, inde vero attrahere easdem Vulnera, unde statim dolor mitigetur, & spiritibus balsamicis Vitrioli sanatio fiat, uti hanc DIGBAEI sententiam in *Oratione de Pulvere Sympathetico* pro-

po-

positam refert *W E D E L I V S Aman. Mat. Med. p. 504.* Sed quanti hic lateant errores, nemo unus non videt. Primo enim lucem vehiculum effluviarum *D I G B A E V S* constituit, cum tamen Physici certent & adhuc sub iudice lis sit quid lux sit, & qualis ejus natura, num accidens tantummodo sit & materiae aetherae motus velocissimus, an vero peculiaris quaedam substantia & materia subtilissima & fluidissima. Obscurum ergo per aequae obscurum explicatur. Deinde, si lux esset illud vehiculum, quod transportaret effluvia pulveris sympathetici, qui reservaretur in occidente ad aegrum in oriente constitutum; dicat nobis aliquis, quomodo effluvia, tempore, quo sol oritur, ac lucem ab oriente versus occidentem diffundit, ab hoc illum versus tendere debeant, cum iter plane vehiculo suo contrarium ingredi cogantur. Porro si lux est vehiculum effluviarum saepius nominatorum, sequitur necessario, luce noctu absente effluvia non transportari posse ad aegrum, unde hic destitutus remedio, dolores sentiret, vulnusque iterum mutaretur in deterius. Neutrum tamen accidere, ipsi fatentur adversarii, unde quo jure lux transportator effluviarum pulveris sympathetici dici possit, nos quidem non intelligimus. Accedit quod Pulvis Sympatheticus sal magis fixum sit, quam volatile, adeoque exiguam maxime effluviarum copiam de se spargere potest. Dicit quoque *D I G B A E V S* vulnera atomos in aere expansos attrahere; sed haud gravatim nobis exponeret rogatus, si viveret, vulnerum vim attractricem, unde hanc illa acceperint, & quibus mediis ea utatur vis in attrahendis Vitrioli Effluviis. Nihil sane commercii recentioribus est Philosophis cum nugatrice illa vi attractrice. Sed videamus nunc quoque, quid *Celeberrimus S T U R M I V S* de pulvere sympathetico ejusque operandi ratione sentiat. Ille non esse rem adeo impossibilem aut captu difficilem arbitratur, ut particulae minutae a certis corporibus in magna praesertim

D

co-

copia effluentes in longa etiam spatia per aërem & corpora terrestria ope subtilissimi & agitativissimi aetheris pro-
 vectæ in corpus aliquod suo, quo egressæ fuerant, homo-
 geneum aut simile incidant, ejusque meatibus facilius
 quam aliorum corporum imbibitæ aut intrusæ, hoc simi-
 le quippiam pati faciant, cum eo unde advenerant. *Vid.*
ejus Phys. Hypothet. p. 470. & JO. FRID. WUCHERERI De-
lin. Phys. Div. p. 167. An vero sufficiat dixisse hæc omnia
 in pulveris sympathetici operatione accidere posse Tu L.
 B. judicabis ipse, qui satis intelligis, a posse ad esse non
 valere consequentiam. Et concedamus particulas minu-
 tas a certis corporibus effluentes in longa spatia ab aëre
 propelli, inque corpus aliud simile intrudi, illud tamen
 de iis tantum valet corporibus, quæ magnam effundunt
 effluviarum copiam uti ipse, STURMIVS profitetur. Quis
 vero credet effluvia pulveris Sympathetici in satis exigua
 quantitate gladio deligato inspersi sufficere, quæ per tri-
 ginta aut quadraginta milliaria cum æthere pro vecta effe-
 ctum in vulneribus producant exoptatum. Quis non am-
 babus largiri manibus cogitur, effluvia ista vel abs furentibus
 ventis in orientem propelli, cum occidentem versus iter
 ingredi debuissent, vel ab iisdem longo itineris tractu defati-
 gata aut viribus exui suis, aut plane disjici ac dispelli, nulla eo-
 rum ad vulneris labia perveniente. Hoc ipso autem, velimus,
 nemo nos dicat plane omnem corporum negare in distans
 actionem: scimus enim agentia physica vel per aliquam
 sui translationem vel diffusionem in distans agere posse,
 quatenus scilicet ex iis tenuissima substantia corporea ef-
 fluit & sese circumcirca ad finitam distantiam extendit aut
 diffundit, omniaque alia corpora solida ac dura etiam, pro
 diversa tamen tam sua, quam cujusvis corporis ratione pe-
 netrat & agit. Notanter dicimus, *ad finitam distantiam*,
 intelligendo terminum illum circulearem Physicis Sphæra
 Activitatis dictum, quem agentia physica per limitatam
 suam

suam agendi virtutem egredi vel præterire non pollunt. Hinc Physici docent, omne agens non nisi intra Sphæram Activitatis suæ agere: & quare hæc sphæra agentium naturalium finita sit, virtusque agendi sensim debilitetur, egregie explicant. Ajunt siquidem substantiam ex agente corporeo effluentem corporibus obviis motum suum communicare, adeo ut demum quiescat ipsa. Et quandoquidem eadem substantia effluens in ipso a corpore egressu densior est & compressior, quam in majori elongatione, ubi sese magis magisque dilatatur; ideo & fortior est, ubi primum erumpit, sensimque eundo virtus illius immittitur. Hæc si quis ad pulveris sympathetici effluvia applicare voluerit, videbit statim eorum exiguam esse quantitatem, unde quoque eandem per tot miliarium spatium profecta effectum edere non posse, ipse confitebitur. Quapropter non injurii sumus in sæpius citatum Pulverem sympatheticum, ejusque defensores, quando ejus applicationem antea recensitam naturali philosophiæ aduersari aperte dicimus. Verum enim vero, his nostris prolatis sese opponunt memorati modo Pulveris Sympathetici defensores ac Patroni, viresque illius summis extollunt laudibus, quippe de quibus sæpius exoptatus ac subsequutus fuerit testatus Effectus. Non enim una factum esse vice, ut hæmorrhagiæ narium, aliquot sanguinis guttulis pulvere hoc exceptis fuerint suppressæ, vel gravissima vulnera ope ejusdem remedii multis miliaribus ab his remoti, sanata. At vero, quod ad primum attinet, Hæmorrhagiam narium non ab effluviis pulveris sympathetici fuisse suppressam, sed aliis causis naturalibus ejus suppressionem esse adscribendam audacter asserimus. Ut enim nihil dicamus de impossibilitate introitus effluviolorum, eo momento, quo sanguis ex apertis narium stillat arteriolarum venulisque, hoc saltim monebimus, ipsum sibi sanguinem præcludere viam, aggeremque sibi ponere glutinante scilicet sua natura, ratione

partium γλιχρῶν sulphurearum. Hinc *Celeberr.* WED-
 LIVS *Amæn. Mat. Med. p. 507.* in Hæmorrhagiis narium, ubi
 sanguis in exitu concrevit, & concrecendo sibi remoram
 injecit, ut subsistere tandem fuerit coactus, hunc grumes-
 centem sanguinem non statim e naribus eximendum esse
 non sine ratione injungit. Ex his aliisque patet, effectum,
 applicationem pulveris sympathetici in Hæmorrhagia na-
 rium sequentem, non huic, sed aliis causis esse adscriben-
 dum. Quodsi autem quidam nihilominus ab effluviis istis
 Hæmorrhagias narium sisti asserant, nosque consentien-
 tes habere velint, permittant nobis ut statuamus, tum pul-
 verem hunc jure sympatheticum dici non posse, quippe
 qui non sympathetico i.e. occulto modo eo in casu operetur,
 si scilicet sub naribus sanguinem stillantibus ponatur, ubi
 ut alia remedia per contractum immediatum vires suas
 exerit. Quid vero de majoribus dicendum vulneribus
 gladio vel aliis scindentibus inflictis instrumentis? Nonne
 horum consolidationi succurrit egregius ille pulvis, & nonne
 effectus, consolidatio sc. ipsa, huic est tribuendus? Minime
 Gentium. Præter enim ea, quæ paulo ante de physica ejus id
 efficiendi impotentia diximus, locum adducimus egregium
 ex GVNTHERI CHRIST. SCHELHAMMERI *Libro de Natu-
 ra sibi & medicis vindicata ejusque Part. alt. C. IV. p. 250.* qui
 clarissime docet, naturam sibi in consolidatione Vulnerum
 sufficere. Ita autem Celebris Autor: *In vulneribus & fra-
 cturis nihil agendum amplius, nisi quod componi labra volunt, ut
 invicem se tangant: integra enim cæteroquin natura, nisi jam
 antea ægritudine quadam labefactata sit, ipsa peragit opus suum
 humorum circulatione; sufficit semoveri, & vel præcaveri, vel
 e medio tolli impedimenta, eamque dirigi ac custodiri, de cæte-
 ro quiescendum, ipsique opus suum committendum est.* Et pau-
 lo post: *Quæ in solidis restituenda sunt beneficio fluidorum re-
 stituuntur, ad quod vix aliud necessarium est, quam liber tam
 humorum, quam spirituum commeatus: quo interrupto, nec me-
 di-*

di-

dicamenta adjuvantia, nec materia futuræ restorationis ad locum affectum possunt pertingere. Quippe omnia constant ex tubulis quibus interruptis vel obsessis, fluxus & refluxus humorum intercipitur, at aptatis sibi rursus ut respondeant ora tubulorum, redit in viam fluidum quodvis, & dum ad fissa pervenit ora, relicta materie aliqua parte τὸ γλίχρον, quod est in sanguine, eadem jungit ac glutinat. Ex his omnibus, quæ hactenus diximus conjunctim sumtis, quilibet non poterit non concludere, Pulverem Sympatheticum nihil plane agere, nullarumque esse virium in labiis vulnerum consolidandis, sed eum Philosophiæ naturali maxime adversari. Idem judicium esto de Unguento armario cæterisque sympatheticis remediis, inter quæ ne unicum quidem invenies, quod cum sobria philosophandi de naturalibus corporum viribus concordet ratione.

THESIS V.

Ipsæ quoque Sympatheticæ hæ Curationes sunt *Symp. Curat. Periculosa sunt agris*
 ægrotantibus periculosa (a) & perniciofa. (b)
 Ἐκθεσις.

(a) Periculum quod ægrotis, his remediis sympatheticis utentibus imminet, sane non est vilipendendum. Si-*sive animi* ve enim horum animum spectes, sive corpus, nihil erit, nisi plane non audenda talium applicatio medicamentorum, quod illum a scelere, hoc a Morbo priori pejore præservare aut liberare poterit. Nemo certe illius Mentem ab omni labe alienam asseret, qui superstitionis ejusmodi atque abominabilibus plane modis corpus a vitio liberando, animum aggregatis vitiorum copiis aperit contaminandum atque dehonestandum, quique dum vitare vult Charybdim, in Scyllam incidit longe periculosiorem. Quis enim non mecum confitebitur, Superstitionem arctam satis cum Magia illicita habere cognationem. Id, circo superstitosum quis videns hominem, pluma levio-

rem, atque mox his, mox aliis superstitiosis Nugis fidem habentem, cogitabit non abs ratione ex eo Incantatorem, vel Lamiam, & Magum aut Atheum fieri posse. CASPAR vero SCHOTTVS *Mag. univ. P. IV. L. V. Mag. Med. p. 473. seq.* postquam sanguinem incisus etiam omnibus venis emanantem, absente qui patitur fluxum per multa millia ope pulveris sympathetici sisti posse ex aliorum hypothese dixerat: *Hæc, inquit, qui credit naturaliter fieri posse, & causas ex cælo, terra & aliis elementis mixtisque colligit, illi nihil deerit ad fidem habendam toti magiæ theurgicæ atque illicitæ, ut bene asserit etiam Libavius. Non desunt alia media quibus sine mali suspitione uti possimus. Ubicunque necessarium est concedere actionem in distans (uti hic) suspicio latet pateti cum Dæmone, ex communi Philosophorum ac Theologorum etiam heterodoxorum sententia. Quicumque itaque his sese non audent exponere periculis, sympatheticas illas, sub quibus latet anguis in herba, cane pejus ac angue fugiat Curationes, neque insuper ansam aliis porrigat, de præsentia iudicii sani, nec stultitiæ mero inebriati dubitandi, videntibus eum ad aquas multo nisu properare stagnantes squalidasque, qui tamen viva sitim aqua suam extinguere posset. Quod deinde ad periculum corpori imminens spectat, illud sane est evidentissimum. Nam primo, dum quis remediis utitur sympatheticis infidis, tutiora & certiora negligit medicamina, unde fit, ut morbus indies majora capiat incrementa, nisi ipsa natura viribus malum vincat suis. His autem a morbi gravitate ac malignitate victis, non possunt non omnia in deterius ruere, Natura vero, quæ, si citius optimis fuisset adjuncta medicamentis, malum alias superasset, jam huic succumbere cogitur. Deinde ipsa sæpius nominata sympathetica medicamina esse ægrotis periculosa, atque loco speratæ salutis alios producere morbos ex allegato supra *Tbes. III. lit. (a)* exemplo elucescit.*

(b) Perniciem quoque, non modo periculum, imminere ægris sympatheticis faventibus medicamentis paucis ibimus demonstratum. Si e. g. graviter quis gladio esset vulneratus, ita quidem, ut vasa quædam majora fuerint discissa, unde insignis necessario

sive corpus spectes.

Sunt quoque perniciosa.

rio

rio sequeretur hæmorrhagia, & quispiam Medicafter Sympatheticus gladio inspergeret pulverem sympatheticum, putaresne hoc ipso hæmorrhagiam hanc sisti posse? Negamus id & pernegamus, vereque asserimus, illam fore lethalem, nisi aliis chirurgicis ei obviam eamus remediis. Quis ergo injuria afficeret hoc in casu, tali cum successu ejusmodi applicantem remedium, si eum interfectorem potius, quam medicum nominaret. Quali porro ille dignus sit encomio, qui olim sangvinem e vena viri febre acuta laborantis missum in clibano torrefactum & pulverisatum eidem ægro propinavit, subsequens paulo post gravissimis symptomatibus, anxietatibus scilicet præcordiorum summis, deliriis, convulsionibus, ipsaque morte, Tuo L. B. relinquimus judicio. Ex dictis itaque putamus colligi posse, medicamina sympathetica jure dici debere perniciofa.

THESIS VI.

Medico autem rationali sunt indignæ (a) & prorsus illi-
citæ. (b)

C. S.

Sunt Me-
dico indi-
gnæ.

Ἐκθεσις.

(a) Supra jam Thesi I. & II. diximus quale sit Medici officium in curandis morbis, qualiaque ille in auxilium vocare ad hos debellandos debeat Remedia, ejusmodi scilicet, quæ sana ratio & experientia dicitur, viribus ad id agendum, quod agere debent, naturalibus & manifestis instructa. Album huic sententiæ adjicit Calculum CELEBERR. HOFFMANNVS in notis ad observ. PET. POTERII p. m. 402. dum qualitatibus manifestis debere agere remedia, uel mechanica quadam ratione explicari horum virtutem contendit. Quæ res cum a nemine nisi veritatis osore negari possit, adeo clare nos docet, medicamenta occulto ac suspecto quodam modo agentia infida, superstitiosa, absurda ac obscena nunquam a Medico rationali ægris propinanda, sed ea, utpote indigna Medici persona esse penitus rejicienda. Ejusmodi autem cum Sympathetica Medicamenta esse ac jure dici debere ex antecedentibus, ut opinor, satis constet, nemo unus, spero, Thesin hanc falsitatis arguere audebit. Quid enim? si Medicus conscientiosus, uti recte asserit VALENTINI, Pandet. Med. Leg. P. I. p. 420. se illis, qui curis sive magicis, sive magneticis, & sympatheticis magiæ suspectis utuntur, miscere aut quovis modo patrocinari, sed ad imitationem Facultatis Medicæ Gissenæ easdem abhorre, scaphamque scapham dicere debet, quacunque tandem ratione in-

incrustentur, poterit salva conscientia, salvaque sua fama ac fortuna his talibus uti detestandis remediis? Poterit, si, moriente ægro, quem aliis servare poterat remediis, intolerabilibus torqueri atque exagitari de commisso homicidio voluntario suam velit tormentis conscientiam, si eadem, quæ alii sibi accersiverunt, velit expectare facta, quibus sub quocunque prætextu curis illis hodie utentibus aqua & igni interdicitur, prout Illustris Senatus Mœno-Francofurtensis nuper similem Doctorem (ut audit) sympatheticum ausu generoso emporio suo excedere jussit, referente laudato VALENTINI l. c. p. 421. aut si quæstioni corpus offerre vult, in quam postulandos illos, *die mit verdächtigen Dingen, Gebehrden, Worten und Wesen umgeben, die zauberisch scheinen*, censet CONSTITVTIO CAROLINIANA Art. 44. *Constit. Crim.* Plura hanc in rem non addimus, cum hæc quemlibet persuadere valeant, sympatheticas curandi rationes medico esse indignas.

& *illicita.*

(b) Neminem profecto inveniri posse credimus, qui, si quid modo candoris sub præcordiis habet reconditum, & si, remotis præjudiciorum densissimis tenebris sanam rationem ducem eligens, quæ hæcenus disputavimus, accurate pensitaverit, in nostra non sit transiturus castra, atque nobiscum confessurus sympatheticas omnino illicitas esse curationes. Id præter antea allegatos quoque fecit CASTELLVS, quando in *Lexico Med. sub tit. SYMPATHETICVS* ita loquitur: *Quam frivolis hypotbesis illa (de pulvere & unguento sympathico) nitatur argumentis & phænomenis jam alibi publice a nobis fuit ostensum. Nemo ergo vitio nobis vertat, si cum Naudæo, Jordano, Dieterichio, aliisque Medicis veris dogmaticis & Christianis curationem per bujusmodi medicamenta sive unguentum, sive pulverem sympathicum, qua vanitatis, qua falsitatis arguamus, & inter curationes* *illicitas, magicas, diabolicas referamus.* Properamus ad finem: non tamen prius his meditationibus imponendum, quam sequenti ratiocinio brevem instituerimus ἀνακεφαλαίωσι: Quæcunque scilicet morborum curationes sunt infidæ, superstitiosæ, absurdæ, obscenæ, Philosophiæ naturali contrariæ, ægris periculosæ, & perniciosæ, medici persona rationalis indignæ, ejus conscientiam, famam, ac fortunam lædunt, a medicis veris dogmaticis & christianis damnantur ac rejiciuntur, illæ sunt illicitæ, rejiciendæ, damnandæ, abominandæ. De Sympatheticis id hæcenus asseruimus & probatum dedimus Curationibus: unde sponte sua sequitur, easdem esse illicitas, rejiciendas, damnandas, abominandas.

ἀνακεφα-
λαίωσις.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQVE CLARISSIMO

CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES

Quanquam multi sint qui ar-
canis medicamentis operam
dent, atque methodo medendi
occulta Artem Salutarem illustra-
re velint; tamen ii rectius & tutius
medicinam fecisse mihi semper
visi sunt, qui remediis usu com-

)

pro

probatis & experientia Celeberrimorum Virorum confirmatis morbos fugare allaboraverunt. Eandem sententiam & TE fovere, DOCTORANDE Clarissime Fautor exoptatissime præsens quam proprio Marte elaborasti egregia, solida, atque Inauguralis, satis abundeque ostendit Dissertatio, in qua Curationes Sympatheticas a multis dictas, acriter perstringis, atque erudite confutas. Gratulor itaque TIBI de hoc eleganti eruditionis TVÆ Specimine ex animo, nec non de feliciter confecto Itinere ad externos. Eo majori vero voluptate TE comite in Ca-
the-

thedram nunc iterum conscendo,
quo magis dum de Itinere TVO
cogitabas erudito faciendo, inge-
nii TVI felicitatem, doctrinam.
que peculiari Specimine tunc
temporis edito, me etiam Præsi-
de & Sodali, omnibus bonis atque
eruditis magno cum applausu
comprobasti. Illud etiam mihi
magno duco gaudio, quod nunc
honores TVOS in Arte Salutari
Summos adjuvandi atque pro-
movendi, a Gratioſa Medicorum
Facultate mihi data ac conceſſa
fuerit facultas atque copia, ubi
gratissimam mihi nactus sum
TIBI de Summis in Medicina ho-

)(2

nori-

noribus gratulandi, atque fausta
cuncta apprecandi occasionem.
De reliquo quoniam ob concate-
nata quæ me in præfenti detinent
negotia, conceptum meum de
TVIS Honoribus gaudium proli-
xo sermone effundere in sinum
TVVM nequeo, proluxiori itaque
affectu, ut TIBI tanquam Insigni
& mihi multo Charissimo Splen-
didissimæ ACOLVTHORVM
Gentis Ornamento, omnia ex a-
nimi sententia bene feliciterque in
posterum eveniant, iterum ite-
rumque voveo.

Coll. diss. A 194, mix 10